

ab ipsa excreta substantia sumuntur: Verbi gratia; num dextero lateri; num sinistro inflatum vulnus sit; si crux qui è vulnera fluic niger sit, & copiosus; si albus & tenuis, spumosus: præterea anhelitus difficultatem adver- tunt, & num per vulnus spiret considerant, auctor Albucasin sequitur.

Si primis diebus] Si adhibitis ex arte præsidiis melius non habeat, saniesque copio-
sor sit; signum est ex pulmone saniem in tho-
racem fluere, & empyema efficere: vide Ägi-
netam capite de Tabe.

DE CURATIONE

fistularum quæ in pectoris male curati vulneribus perpetuo relin-
qui solent, ex quo fit ut phthisi &
hectica febre ægri laborent.

CAP. II.

HUJUSMODI fistulas, à multis ex no-
stratis chirurgis ac exteris despe-
ratis, atque illarum ea, quæ apud au-
tores leguntur remedia, imbecilla om-
nino esse, deprehendimus; nullas tamen
ad nos abhinc quadraginta annis allatas
fuisse invenimus, quas cum magna Dei
salutaris laude facile non curaverimus.
Nos enim hujusmodi affecti, multi etiam
ex Italia, & Gallia, atque ex omnibus
Hispaniæ provinciis, petiverunt, quibus

76 DE CURAN. VULNER.

ex acceptis in præliis vulneribus, in hanc difficultem fistularum naturam occalluerant, ex quibus etiam copiosæ, atque perpetuæ puris promanant fluxiones, tum ex vulnere ipso, tum ex ore etiam. Hos autem continuæ febres, perpetuaque maces comitatur: tota autem hæc affectio nullo ferè ægrotantis labore, atque exiguo medici negotio, quadraginta diebus curatur, atque in bonam omnino valetudinem, fortemque habitus consistentiam mutatur. Declarat autem & id oris color, & corporis obesior etiam habitudo. Neque verò ea res nos turbare possit, quod copioso fluxu penè virtus exhausta, aut quod os aliquod in costis corruptum esse, exploratum sit: etenim si id commode extrahatur, facillimè, atque citissimè ulcera ipsa carne inducta, restituentur. quod si nullum os corruptum sit, nulla alia re opus est, nisi ut ulcus emplastro admoto curetur, nigro, aut nostro fulvo, sive leonini coloris, aut utroque, unà commixto: id autem ægrotus ipse sibi sæpius abstergendum curabit, atque hoc modo ulcera sanantur; interiorum autem locorum hujusmodi curatio est.

Purgando in primis nobis ægroti sìrupus ille tribus, aut quatuor diebus manè ehibatur.

R. Sirup. rosarum ex infusione & mellis ro-
sati colati. 3 j. aquæ

aqua scabiosæ 3 ij.

deinde hujusmodi exhibeantur pillulae.

R. massæ pillularum aggregativarum, & de agarico ana 3 ℥.

acuantur cum diagredii G. iiij.

& fermentur v.

Vbi jam verò purgatus fuerit, hoc apozema paretur.

R. Polipodii quercini probè contusi 3 ij.
vel iiij.

radicum helenii contusarum m. ij.

hyssopi, capillorum veneris recentium, li-
quiritiae secundo pulverizatae ana m. ij.

folliculorum senæ p. j.

epithimi 3 ℥.

passularum enucleatarum bene contusa-
rum p. iiiij.

fiat decoctio secundum artem in lib. xij.

aqua, quoad remaneant 8 viij.

deinde colentur forti expressione; colatur
autem addatur sachari rubei 8 ℥.

mellis communis 8 j.

Bulliat parum & spumetur: ex hoc au-
tem tepido singulis diebus manè unciæ
duodecim bibantur: vesperi etiam tan-
tudem. ubi autem totum decoctum
consumperit, duabus illis, ejusdem ge-
neris, pilulis quod concoctum fuerit
purgabitur. posterā verò die ac deinceps
ejusmodi decocto utetur, ex ligno san-
cto, quod vulgo guayacum vocatur, fa-

78 DE CURAN. VULNER.

brorum, asperiori lima probè deraſo, & in pulverem velut redacto; uncias octo ſumito ex ejusdem ligni cortice, non eo quidem qui ligno adhæret (namque hu-
ius virtus à ligno ipſo exſucta, atque ex-
hausta eſt) ſed ex eo qui ſeorsum à ligno
ſecretus, ex Oceani novo orbe asporta-
tur, 3 x. probè contuſi, & cribro decuſſi
rariore, addito etiam aniſi pugillo, alte-
roque ſeminis lactucæ & liquiritiæ con-
tuſæ 3 ij. idqüe in ollam nitro interius
obductam dimidiæ arrobæ Hispаниæ
capacem injiciatur, cum vini albi veteris,
ac generoſi poculis duobus, quæ ve-
terum medicorum mensura lib. viij. ſunt
tantudem etiam aquæ uſualis addatur,
& per diem integrum, hoc eſt, horarum
viginti quatuor, macerentur; deinde
lento igne coquantur, quoad tertia pars
fuerit abſumpta; in ipſo autem ultimi ſer-
voris articulo rosarum recentium vel ex
ſiccatarum pugillum conjicito, atque
hermodactylorum in pulverem redacto-
rum, atque in ipſo mortario eadem de-
coctione ſolutorum 3 i. in eandem ollam
effundito, ſimulque ab igne remo-
veantur; ubi parum una ebullitione ebul-
lierint. operculo autem recte obducta
omnia, quoad friguerint, ſinito, ubi fri-
gida fuerint, colentur: id verò quod pri-
mum effuſum fuerit, purum atque deſe-
catum,

Hoc
eſt lib.
32. cum
dimidio.

catum, in puro etiam vase excipiatur; ex quo quoties cibum sumpserit, pocula certa ebibet: reliquum verò in altero vase satis expressum reponatur: ex hac aut posteriori, quæ paucior ac turbidior est, singulis diebus ægrotus duodenas uncias senas mane, & totidem vesperi bibat idque si hyems sit, calidum esto: si verò æstas, frigidum. Vesperi autem dicimus æstate secunda, aut tertia post meridiem hora: hyeme verò noctu tertia, aut quarta hora à coena: vas autem semper agitandum est, ut id quod desiderit, turbetur ac misceatur, atque ebibatur prorsus. Nam præcipua horum medicamentorum vis in hoc est: ex altera verò priore, ac puriore aqua, ad prandium, & cœnam quod satis sit, bibito; nimium enim bibisse, etiam nocet. Viatus autem ratio hujusmodi esto, si nimium debilitatus, bis per diem avium assas, vel elixas carnes comedere, non nocebit, aut etiam arietinam, aut hædinam si par sumptui non fuerit: si verò meliori consistentia, minorique imbecillitate fuerit, semel tantum in die carne, nocte verò passulis, exiguoque pane utatur: proderit etiam validioribus interdum passulis, & amygdalis tota die uti, & à carnibus abstinere. Denique omnia hæc prudentis medici sunto consilium: tamen duodecim saltem

80 DE CURAN. VULNER.

dies temperantius , ac parcus agere omnino curandum est ; facile namque perferri poterit triginta dierum abstinentia , neque ideo debilior evaserit : namque decoctum satis ipsum alere , & nutrire , imò & pinguedinem inducere valet , quanquam solis passulis utatur ; quamvis etiam febre continua , aut hectica laboret ; omnino autem alio potu interdicendum fuerit : neque vero si in primis diebus iusavius videatur , molestè id ferendum est : nam tertio , aut ad summum quarto die , id suavius jam experiri licet , & nulli alii quantumvis generoso vino posthabendum. Igitur omnem victus rationem medici consilio permittimus: dummodo illud animadvertisatur , magnam scilicet , in hac potione , ad alendum inesse vim : et si maximo alias fastidio ægrotus teneatur , vehementer cibi excitari appetitiam. Peractis autem triginta diebus , bis per diem carne vesci , ad 40. usque licet. Opus etiam erit , ut triginta primis diebus continuis in lecto cubet. quod si tamdiu perferre non possit , serenis & calidis diebus , tertia ante meridiem hora , surgat ; vesperi autem , ante cubet , quām potionem biberit , & vestibus stragulis quām commodissimis frigus prorsus arceat : cubile autem clausum semper esse oportet , lucernamque ardere , ut calidus locus

L I B E R II. 81

locus conservetur, & velo ante cubilis ostium extenso, frigidus aër subire prohibeatur. Nullo autem alio cibo uti permittatur, si modò sanari cupiat.

Ipsius verò fistulæ curatio emplastro in lino, aut arietina pelle extenso, atque imposito, perficitur, quod tamen sæpius per diem oporteat abstergi; id enim antiquis ulceribus mirum in modum prodest: id verò hujusmodi est.

R. Cerussæ & Lithargyrii ana 3 ij.

olei communis antiqui & aceti fortissimi
ana 3 ij.

Bulliant lento igne baculo interim agitata, quoad in punctum ceroti coalescat. Hujus ceroti, vel tantilla portione in lino extenta, ulcus sanabitur, quam ægrotus ipse sibi sæpius per diem abstergat. Hoc igitur modo curatus, qui hujusmodi passus fuerit, sanus optimequè affectus, & obesior etiam evadet; quamvis diuturna tabe, quamvis & hectica febre, aut phthisi consumptus fuerit, omnibus etiam membrorum omnium, organorumque nutritivorum, spiritualium, & animalium facultatibus, rectissimè si unquam alias habebit.

A N N O T A T I O.

Fistula, quam οὐεττα Græci vocant, nomen ab arundineis fistulis capit, ut ait Æ-

D 5 gineta:

82 DE CURAN. VULNER.

gineta : est sinus qui callo obductus durusque temporis progressu factus , cum sibi subjectis conglutinari non potest : ut Galenus ait libello de tumoribus præter naturam . magna ex parte ex abscessu parum feliciter curato oritur : fitque in omni corporis parte , quarum quælibet sua propria habet symptomata : ut apud Celsum est videre , & Aëtium lib. 14. Author eas solum proponit curandas , quæ ex male tractatis in pectori vulneribus oriuntur .

Quod si nullum os] Expedita curatio est in fistula simplici , recenti , intra carnem : contrà si fistula , vel os , vel cartilaginem , vel musculos læsit , si articulum occupavit : si vel ad vesicam , vel ad pulmones , vulvam , vel ad grandes venas , aut intestina penetravit ; semper enim periculosa est , sæpe lethalis , ut Paulus ait lib. 6. cap. 78.

Ex ligno sancto] Hæc curatio jam approbatata est , & à Tagautio tradita : & non injuria certè . Hoc enim ligni genus manifestam desiccandi vim habet , putredini particuli benefici resistit , & roborandi insigni pollet facultate : qui omnes scopi quæruntur in fôrdido , putri , diutinoque ulcere qualis fistula est .

Ipsius fistulæ curatio] Topica remedia plurima sunt , quæ ex Galeno , Paulo Aëtio Celso peti poterunt . adnotabo Hippocratem scribere libro de Fistulis , seseli radicem fistulis impositam earum callos eximere , quod

Pau-

Paulus Spondilii radici tribuit.

Hectica febri & phthisi] quod sit utriusque discrimen, norunt qui medicinam saluatorum: addam febrim ad phthisim esse epigastrem, seu consequentem atrophiam ad miasmum, ut Galenus lib. de Marasmo adnotavit. Quæ præterea auctor pollicetur, à nemine promissa vidi, nec legi. Omnes enim à corrosione natam talem insanabilem statuunt, ut dixit Hippocrates libro de Glandulis, & Galenus quinto metkodi ita ait: nisi tertio die hæc curetur affectio, deploratam reddi.

Apozema ad vulnera pectoris & pulmonis, & ad tabidos.

R. Hordei mundati contusi, passularum mandatarum contusarum ana p. iiiij. radicum buglossæ contusæ m. iiij. glycyrrhizæ rasæ modicæ contusæ 3 ij. B.

cardui benedicti m. ij. seminum communum 3 ij.

jujubas numero xx. Pruna tenuiter incisa numero xv. Radicum petroselini contusarum m. j. decoquantur secundum artem in lib. xiiij aquæ pluviae usque ad consumptionem tertiae partis; & fiat colatura cum forti expressione; cui addantur penidiorum 3 iij.

Syrupi rosati, Syrupi de duabus radicibus sine aceto ana 3 iij. Sacchari 3 B. B.

34 DE CURAN. VULNER.

cinamomi 3 j. ℥.

& fiat apozema. De quo capiat singulis
diebus summo mane 3 xij.

& totidem vespere, quousque totum absolvatur. illud animadvertisendum est, quod quotiescumque ebibendum est, fiat apozematis in vase commotio & agitatio, ut quod in fundo refederit, misceatur. Apozemate ebibito illi noctu exhibentur pilulæ duæ ē massa aggregativarum, ut quod commotum est & concoctum, evacuetur. Pro sequenti die parata habetur aqua altera, cum qua omnino sanabitur, & habitum corporis optimum recipiet. Illius preparatio talis est.

R. Ligni sancti, id est, guajaci 3 viij.

corticis ejusdem ligni 3 x.

seminum communium 3 i. ℥.

glycyrrhiza rasæ modicum contusæ 3 ij.
passularum mundatarum contusarum pug-
ij, decoquantur in 12. libris aquæ, & totidem
vini optimi ad tertias: tunc adde herma-
dactylorum 3 ij.

optimè contusorum, & eodem decocto dis-
solorum paulisper interim bulliant, & ab
igne amoveantur; atque eo modo relin-
quantur usque in diem proximum: tunc
summo mane fiat colatura prior purioris
aquæ, quæ in vase aliquo seponenda est;
hæc enim pro potu in prandio, & cœna
exhibenda est. Illius vero quod superest
cola-

colatura cum forti expressione fiat , & invas aliud seponatur: de hac enim summo manè unciæ 6. ægro bibendæ sunt, & totidem vespero duabus horis post meridiem. priori pro potu utetur in mensa. Ut autem ea quæ secundo paranda est aqua majorem vim habeat : fæcibus quæ ex priori decocto supersunt , aqua affundenda , & decoquenda ad fl. ij. consumptiōnem colo transfundatur : huic enim colaturæ vinum addendum erit , pro secundi decocti præparatione. Dum æger decoctum hoc bibit , pane & passulis vescatur ad dies octo & plures , nisi debilis sit: aqua enim hæc multum nutrit ; deinde singulis diebus in prandio carnis vesci poterit; in cœna passis contentus sit usque ad diem trigesimum: deinde bis in die carnes comedere poterit ad diem usque quadragesimum. Si hyems sit, usque ad diem trigesimum cubiculum egredi non debet , quod optimè clausum sit , & igne calefactum. Hoc remedio tabidi sanantur , & qui fistulis in pectus penetrantibus laborant.